

Quis color macula, seu nubecula interioris positivæ, an alba, cineritia, cœrulea, viridis, buxea suffusio. Differentiæ hæ quoque notandæ, & dictæ respectu nigri coloris, seu guttæ serenæ. Vt plurimum tamen hæ ipsæ variant etiam, saltem quoad ætatem, seu moram: unde colorem plumbi, ferri, aquæ marinæ repræsentat, & splendorem quoque præ se quendam fert. Vid. *Bartsch. Ophtalm. modul.* & alii.

An dolor progressus, vel comitatus capitis, isque longior & grauior, & oculorum, indicio maioris acrimoniæ, cacochymia, affluxus. Unde distingui meretur suffusio in quietam, paulatinam, indolentem, & impetuosam, dolorosam. Illa sensim fit, per *συναθροισμὸν*, collectionem, curabilis tamen magis; hæc confertim *ἀθροῦς ἢ βίαιος* magis, quoad *πνευματισμὸν*, affluxum; ex utraque vero cæcitas inferri potest.

An epilepsiam, vel motus convulsivos passus ipse æger, indeque arcessenda origo, aliaque mala capitis, quæ omnia tamen dolor grauiora reddit. An scorbutica cacochymia, acrimonia, putrilago malum citet, foueat, & latenter subsit, vel aperto quoque Marte præsens offendatur, cui omni modo contra eundem est; an ipsa lues venerea, quæ intimius non minus sæpe lymphæ, & fibræ nerueis centralibus insidet. Vidimus ex hoc fonte etiam hæc omnia, & consequentem cæcitatem.

An angustata pupilla; an ad manus approximationem dilatetur, nec ne. Si enim id fiat, tum bene se res habet respectiue, indicio præsentium laxantium stringentiumque spirituum; sin minus, eosdem pessundatos, ut in gutta serena. Quorsum etiam facit, an æger luminosum aliquod, licet non distinctum, obiectum percipiat, ad.